S. D. N.
PAVLI
PAPAE V.

CONSTITVTIO
Contra mulieres ingrediendi Monaſteria Monialium licentijs abutentes.



ROMAE;
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ;
MDCIX.



PAVLVS PAPA V.



D FVTVRAM REI MEMORIAM. Facultatum plura Monasteria Monialium ingrediendi abusus tollere volentes, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona cuiuscunque gradus, status, & conditionis, ac præeminentiæ existat, etiam si Ducali, Marchionali, aut alia dignitate præfulgeat, vigore licentiarum plura Monasteria, Domos, & Loca Monialium, pluribus vicibus ingrediendi, etiam absq; clausula (in totum, seu in vniuersa, non autem in eorum aliqua, vel singula) à Nobis, vel Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sub quouis tenore, vel forma, etiam Motuproprio concessarum, & expeditarum, aut in posterum forsan concedendarum, & expediendarum, aliqua, vel singula Monasteria pluribus vicibus ingredi posit, sed licentiæ huiusmodi respectu vniuersorum, non autem aliquorum vel singulorum Monasteriorum suffragentur, itaut, cui bis in Anno, seu amplius, plura Monasteria ingredi conceditur, bis, vel amplius tantum vniuersa, non autem eorum aliqua, vel singula ingredi liceat, etiam si prædicta monasteria in diuersis Ciuitatibus, Terris, Diœcesibus, & locis existant. Iisdemq; mulieribus aliter, quàm, vt præfertur, easdem licentias interpretari; vel illis vti, sub censuris, & pœnis à Concilio Tridentino, & Apostolicis Cōstitutionibus intra septa Monasteriorum Moniali ū absque licētia ingredientibus inflictis, ipso facto incurrendis, eadē auctoritate prohibemus. Præmissis & alijs quomodolibet in contrarium facientibus quibuscunque non obstantibus;

A ij Vo-

Volumus autem vt harum literarum exemplis, etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die prima Septembris 1608. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo nono Indictione septima die verò vndecima mensis februarij Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Domini P A V L I Diuina prouidentia Papæ Quinti anno quarto retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, & alijs locis solitis, & consuetis Vrbis per me Dominicum de Rubeis Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Magistro DD. Curs. Franciscus de Bonis Cursor.

